

ritatem & nomen habere debere, & in eadem cum ipsis apud omnes Ecclesias Dei veneratione esse: sicut & adhuc semper se *Apostolos* & *Apostolicos* vocitant. Quanta certamina divo Paulo cum hujusmodi Petrinis discipulis, de sui Præceptoris nomine tumentibus ac gloriantibus, fuerint, notissimum ex ejus epistolis est. Nusquam enim non rixari cum eis cogitur, & contendit se nullam superioritatem seu primatum Petri agnoscere.

Hoc igitur nefario dominandi studio incitati Episcopi Romani jam inde ab initio, subinde aliquid egerunt, aut saltem moliti sunt, quod ad eorum potentiam augendam facturum videretur; quæ utinam omnia Historiis fideliter comprehensa fuissent. Multa tamen certè ejusmodi accidisse, facile ex iis, quæ notata ab Historicis sunt, quæque ex eorum propriis decretis coniiiciuntur, animadverti potest. Taceo enim contentiones Paparum in ipsa electione, ubi sæpè etiam armis inter se se competitores certarunt. Certè sic *Anicetus* divum Polycarpum, virum præclarissimum, cogere voluit, ad recipiendam suam observationem Paschæ, & aliorum quorundam rituum; licet frustra, cum ille ei cedere ac subiici, eumque superiorem agnoscere nollet. Sic postea *Victor* Polycratem, & omnes Asiaticas Ecclesias, adjuncta etiam excommunicatione, ad easdem nugas compellere voluit; sed ab *Irenæo*, aliisque occidentalibus Episcopis increpitus, à proposito vel invitatus desistere coactus est. Eandem ambitionem ipsorum & multæ eorum Epistolæ testantur; tametsi non paucas fictas esse, in *Clemente* nostri Catalogi ostenderimus, & in fine hujus scripti etiam ostensuri sumus. Sed impudentissimæ Paparum gloriationis, audi Lector, unicum jam tantum exemplum. Ad *Innocentium* I. miserat Synodus *Milevitana* & *Carthaginensis*, sua decreta contra Pelagianos; sicut & ad alios, præsertim primarum sedium Episcopos, petens ab eis subscriptiones & executiones. Ibi ille modestissimus *Nocentius*, in responsione usque ad impudentiam, dignitatem potentiamque suæ sedis pestilentia deprædicat: *Rectè eos facere*, inquit, *quod ad se ea decreta mittant; nam nulla Ecclesiastica negotia, quæ etiam in remotissimis provinciis aguntur, prius finiri debere, quàm Romam ad sanctissimam sedem examinanda & confirmanda mitterentur.* Atqui non hoc consilio, bone *Nocenti*, ad te miserant illi sua decreta, ut ex tua autoritate, nutu ac confirmatione ea pendere vellent; sed quæ concluderant, ea etiam abs te observari volebant, ut ex ipsorum Epistolis apparet. Et cur tu temetipsum deprædicas & celebras, tibi que ipsi tibicinem agis? Alienum te os, ut sapiens inquit, prædicet, non tuum. Causa in promptu est, quia inanis gloriæ, ampliandæque tuæ tyrannidis cupidus eras, & talem prædicationem tuæ Majestatis illi Patres in Synodis existentes, suis epistolis inferere contra tua vota obliti fuerant. Omnino omnes epistolæ vetustiores ab aliis Episcopis ad Romanos scriptæ, aut prorsus nihil de Papæ imperio, aut certè tenuiter dicunt, exceptis perpaucis; sed Papales responsiones contra, potissimum in suæ tyrannidis deprædicatione occupantur.

Licet